

esse vlo modo potest. neque enim natura, nec contra naturam, vel ad medium, vel à medio moueri potest. Nam motus quo recta linea feratur, ei à natura tributus nō est, vnus enim vniuerscuiusque simplicium dictus est esse. Ita erit idem quod aliquod eorū quæ eo motu cieri diximus. Si verò contra naturam feratur, & is quo deorsum fertur sit contra naturam, is quo supera petet, naturalis erit, & si præter naturam sit iste, naturalis erit ille. Posuimus enim contrariorum quorum vnuus alienus naturæ esset, naturalem esse alterum. Quoniam autem eodem & totum & pars vt tota terra & parua gleba, mouentur suapte natura, fit primū, vt nec leuitate id corpus, nec grauitate sit præditum: aut enim ad medium natura sua, aut à medio moueri posset: deinde vt moueri non possit, ad summū locum, nec ad infimum. Neque enim fieri potest, vt ipsum aut pars vlla illius alio motu natura aut contra naturam cieatur, præsertim cùm eadem sit totius & partis ratio. Eodemque modo consentaneum est illud ipsum & ortus expers esse & interitus & accretionis, & commutationis, quòd omnia quæ oriuntur, ex contrario & subiecto quodam oriantur: & contrà, subiecta aliqua materia, & in contrarium occidunt: quemadmodum in primis disputationibus dictum est. At contrariorum motus etiam sunt contrarij. Si ergo huic nihil contrarium esse potest, propterea quòd motus etiam qui in orbem circúmque fertur, motus nullus aduersetur, rectè natura id quod originis & interitus expers futurum erat, exēmisse ex contrariis videtur: quandoquidem ortus & interitus in contrariis cernuntur. Quinetiam omne quod augescit, augetur: & quod decrescit, decrescit eius, quod eiusdem est generis & accessionis, & in materiam abscessione. At nihil est, ex quo hoc habuit originem. Quòd si est & accretionis & interitus expers, eiusdem etiam intelligentia est, idem etiam expers esse commutationis existimare. Nam cùm sit commutatio motus ac mutatio qualitatis, & ex qualitatibus habitus affectionesque vt valetudo & morbus, nō sine passionum mutationibus existant: quæ autem naturalia corpora passionibus mutantur, augeri ea omnia & decrescere cernamus, veluti & animatum corpora eorumque partes, & illa eorum quæ gignuntur è terra, itemque elementorum: profectò si rotundum corpus nec accessionem ullam habere potest, nec discessionem, consen-